



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

IV. An Societatis Iesv religio conuenienter instituta sit, & approbata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

tifici; quia ministeria, ad quæ ordinantur illæ missiones, ad tales personas non pertinent: admittuntur ergo ad tria vota non solennia, sed simplicia, sicut de coadiutoribus spiritualibus, & scholasticis approbatus dictum est. De quibus omnibus gradibus inferius sigillatim est dicendum, à lib. 3. vique ad 6. Nunc enim solum propositi sunt, ut generalis quædam notitia totius Societatis habeatur; & quia tota hæc structura, & fabrica ad prædictum finem ordinata est, illique valde proportionata existit, ac propterea à Summis Pontificibus, præsertim à Gregor. XIII. in constitutione, *Ascendente Domino* probata, & laudata est.

tem causæ in ea fundanda considerari possunt, scilicet, prima, & principalis, quæ est Deus, proxima, & ministerialis, quæ fuit priuatus homo, quem Deus ad hoc mirabile opus excogitandum illuminauit, & exequendum impulit, & animauit. Tertia est Apostolica sedes, quæ Dei nomine, ut vicem Christi gerens in terris, religionem hanc sua auctoritate suscepit, & confirmauit, & de singulis pauca dicenda sunt.

De institutore Societatis, eiusque institutionis convenientia.

II.

Ut ergo à notioribus nobis incipiamus, perspicuum est omnibus, religionem hanc institutam esse ab Ignatio Loyola, de cuius sanctitate, doctrina, & nobilitate hic non dicam, quia ea magis ad historiam, quam ad disputationem Scholasticam pertinent, satisq; eruditè, ac copiosè descripta sunt à familiari eius filio, grauique Patre nostro Petro de Ribadeneira, & postea à Petro Maphæo, ac nouissime à Patre Nicolao Orlandino i. p. historiarum Societatis, ut in ore dicitur: *vel trium sit omne verbum.* Nobis ergo sufficiant nunc testimonia, quæ Pontifices Summi, non solum de Ignatio, sed etiam de sociorum eius pietate, & doctrina, & de irreprehensibili vita, nobis reliquerunt. Nam Paulus III. in prima bulla confirmationis instituti de Ignatio, & sociis ita loquitur: *In theologicis studiis per plures annos exercitatis Spiritu sancto (ut creditur) pie afflatis amandum, & diuersis mundi regionibus discendentes in vnum conuenerunt, & socij. Ibi ad dicendum huius seculi illecebras, eorum vitam perperam D. N. Iesu Christi, atque nostro, & aliorum successorum nostrorum Romanorum Pontificum seruitio dedicauerunt, & iam quàm pluribus annis laudabiliter in via Domini se exercuerunt, &c. Quæ iterum repetit in initio bullæ secundæ ampliacionis prædictæ confirmationis; & inferius subdit. Nos igitur ad eorundem Ignatii Præpositi, & sociorum piam vitam, & bonorum operum exemplum attendentes, eorum piæ desiderij annuentes, &c. Et in bulla 3. in qua varias facultates concedit, Attendentes (inquit) ad fructus vberes, quos in domo Domini hæcenus produxerunt, & produci non desinunt, vestra religione, integritate, sinceritate, doctrina, moribus, & experientia plurimum in Domino confidentes, vobis, &c. Similia leguntur in bulla Iulij III. de confirmatione eiusdem instituti, & in fine eius specialiter addit Pontifex. Considerantes, nihil, quod pius, sanctumque non sit, in sancta Societate, eiusque laudabilibus institutis, ac exemplari Ignatii, & aliorum sociorum vitam, & moribus reperiri, &c. Vbi expendo idem testimonium ferre Pontificem de sanctitate vitæ Ignatii, & sociorum, ac de ipso instituto, quod sua auctoritate approbavit. Quæ testimonia sequentes Pontifices etiam post felicem B. Ignatii mortem sæpius comprobauerunt, ut ex cæteris bullis constat, & specialiter Greg. XIII. in bulla, *Quanto fructuosius* bene memoria Ignatium Loyolam Societatis institutorem appellauit. Ac nouissime Paulus V. vniuersæ Societati publico Confessoris non Pontificis cultu, & rituque venerandum proposuit. Itaque de sanctitate fundatoris huius religionis impie nunc dubitaretur, & speramus fore ut per expressam Pontificis canonizationem vniuersæ Ecclesiæ proponatur.*

Pontificum testimonia de Ignatio & sociorum eius sanctitate, & doctrina.

Sperin hanc Societatem publico Confessoris non Pontificis cultu, & rituque venerandum proposuit. Greg. XV. 12. Maij 1622. & Paulus V. 1621.

III.

Religionem hanc conuenientissimo tempore in qua diu, ac diligenter se exercuit, & alios exemplo suo, & familiari sermone ad idem vitam genus sibi adiunxit, & post multos labores pro animarum salute susceptos tandem anno 1538. Romæ cum sociis suis de fundanda Societate deliberauit, & se-

XIII.

De medijs priuatis ad causam salutem pertinentibus.

Ultimò quoniam in numer. 10. diximus, hæc media non tantum positiua, sed etiam priuatiua esse, & priora insinuat sunt, oportet posteriora breuiter recensere. In hoc igitur ordine in primis pono, non habere vsum chori, quanquam enim hæc actio valde religiosa sit, & ideo ab alijs religionibus obseruata, tamen quia nimium religiosus Societatis impediret, vel ab studiis dum eis vacant, vel ab actionibus, & ministeriis circa proximum, ad quæ post studia destinandi sunt, & præsertim, quia parati esse debent ad varias missiones, & ad discurrendum per vniuersum orbem; ideo Pater noster Ignatius Societatem voluit esse hæc occupatione liberam. Et quamuis id multi in Societate notauerint, ac reprehenderint, in cap. 8. ostendimus illos nulla ratione sufficienti motos esse, sed hoc potius fuisse, & Patrum sententiam, & rationi etiam valde consentaneum. Et ad hoc medium reuocantur omnes similes actiones, à quibus Societas, etiam ex Pontificum auctoritate eximitur, ut sunt processiones publicæ, & similes, quæ cum cantu, & choro coniunctæ sunt. Aliud medium priuatiuum numerari potest, abstinere à suscipienda cura monialium, ut lib. 9. cap. 8. numer. 15. iterum dicemus, quamuis enim huius rei plures alie rationes reddi possint, hanc tamen existimo esse præcipuam, quia iudicatum est à B. Ignatio in p. 6. Constat. cap. 3. §. 7. ita expedire, ut socij expeditiores essent ad finem illum, quem præcipue intendunt. Potest etiam inter hæc media poni, non accepisse singularem habitum, sed communem clericorum honestè viuendum, iuxta morem regionis, in qua socij versantur; nam hoc etiam ad hunc finem ordinatum est, ut facilius pateret aditus ad omnes proximos, siue hæreticos, siue fideles, &c. Et eadem ratione posset hic numerari communis, & vulgaris victus, & moderatio à nimia vitæ austeritate in his, quæ ad corpus pertinent, quorum ratio in progressu huius libri copiosius expendenda est, & ideo de his medijs hæc delibasse sufficiat.

C A P V T IV.

Utrum Societas religio conuenienter instituta, & approbata fuerit.

I.

De causis, quæ sunt finalis Societatis, & eiusdem generis, & de eiusdem officio.

Hæcenus ferè nomen solum Societatis, & quid eo nomine significetur, à nobis explicatum est, ostendimusque Societatem I. E. S. V. nomine significari quandam religiosorum hominum congregationem, ad finem salutis animarum, cum talibus medijs, talique viuendi ratione institutam: nunc ex eodem fine, & medijs distinctius declarandum est, quid, & qualis sit hæc religio. Quoniam verò questio quid est, supponit questionem an est, prius de hac questione aliquid dicere oporteret, nisi religionem hanc dari in Ecclesia satis iam per se esset notum: solum ergo superest, ut de origine & institutione eius, atque adeo de illius approbatione dicamus, atque ita fiet, ut post causam finalem efficiet causas huius religionis declaremus. Tres au-

& sequenti anno 1539. confirmationem religionis suae à Paulo III. Pontifice Summo postulauit, & post vnius anni accuratam examinationem, nimirum 1540. approbationem obtinuit; ac proinde dicere possumus religionem hanc illo anno incepisse, quam tunc non simpliciter, & tanquam perpetuò duratura approbata videatur, quia solum est data Societati facultas recipiendi vsque ad sexaginta socios; post tres verò annos idem Pontifex Paulus III. absolute, & sine vlla restrictione illam confirmauit. Est autem meritò à multis sapientibus, ac prudentibus viris obseruatum, hoc eodem tempore natum fuisse in Germania Martinum Lutherum anno scilicet 1483. octo nimirum annis ante Ignatium; & anno 1521. publicum bellum contra Romanam Ecclesiam excitasse, innumeras haereses disseminando, & praesertim eas, quae libertatem carnis concedere, & subiectionem, ac obedientiam Summi Pontificis destruere posse viderentur, quibus mediis innumeros habuit suae blasphemiae, & iniquitatis sectatores, & ministros. Hoc autem ipso tempore, quo videbatur fides in tot prouinciis catholicis, & Ecclesiae subiectis labefactari, ac deficere, non sine magna Dei prouidentia cepit aperiri ostium, ac via, qua posset eadem vera fides, & Christi nomen ad innumeras gentium nationes deferri, in quibus antea auditum non fuerat. In India, scilicet, Orientali, & Occidentali, & in multis regnis, & insulis, quae paulò ante praedicta tempora pietate, diligentia, & industria Catholicorum Regum Hispaniae, ac Lusitaniae explorata sunt. Hoc ergo eodè tempore excitauit Deus Ignatium, qui Societatem ad profectum animarum in vita, & doctrina Christiana & ad fidei propagationem, ac defensionem (vt dicitur in bullis Pontificiis, praesertim Gregor. XIII. *Quanto fructuosius*) erigeret. Desensio enim fidei contra haereticos fit, propagatio inter Gentiles, & Paganos: profectus autem vita inter ipsos fideles, & catholicos. Conuenientissimè ergo instituta est ad hunc finem haec religio eo tempore, quo & defensio fidei erat Ecclesiae maximè necessaria, & propagatio valde opportuna, & instauratio, ac perfectio morum utilissima.

Spiritus sanctum fuisse principalem authorem huius religionis.

IV.
Suaetur
testimonio
Ignatii.

Atque hinc (vt ad primam, & principalem causam huius religionis ascendamus) colligere licet, non fuisse hoc humanum inuentum, nec B. Ignatium solo suo humano ingenio, aut virtute, tantum negotium inchoasse, sed Spiritum sanctum fuisse principalem huius religionis auctorem. Ita profitetur idem Ignatius in principio suarum constitutionum dicens, *Summam sapientiam, ac bonitatem Dei Creatoris nostris esse, quae conseruatur est, gubernatur, atque promotura in suo sancto seruitio hanc minimam Societatem Iesu, vt eam digna est inchoare.* Quod sanè non aliter fecit diuina sapientia, quam Ignatium speciali instinctu suo illuminando, & ad tantum opus excitando, & mouendo. Quod plane senserunt Pontifices Summi: Paulus namque III. in bullis suis de Ignatio, & sociis semper dicit, *Spiritus sancto (vt creditur) afflatus.* Iulius autem III. simpliciter dixit, *Spiritu sancto afflatus*, omissa particula *vt creditur*, quam non existimo casu excidisse, sed quòd dubitationem, vel formidinem indicaret, consulto ablatam fuisse; nam diuturna experientia, & vberes fructus simul cum approbatione praedecessoris sui, omnem formidandi rationem, si qua erat, auferre poterat. Atque eadem fortasse ratione Gregor. XIII. in bulla, *Quanto fructuosius*, absolute dixit, *Ad quem finem Spiritus sanctus, qui bona memoria Ignatium Loyolam ipsum Societatis institutorem, e-*

Probat
authoritate
Pontificum.

iusque socios excitauit, media etiam praclara, maxime, quae opportuna huius fidei ministerio tribuit, atque confirmant. Et paulò inferius. *Quapropter Societas ipsa idem Ignatius diuino instinctu ita duxit disponendam, &c.*

Sunt praeterea coniecturae & rationes multae, quae veritatem hanc moraliter certam possumus esse, credere. Prima est illa, quae proximè infinuata est ex nomine Societatis, & mediis, quae ad illum consequendum proficetur, adiuncta opportunitate temporis in qua orta est. Pertinet enim ad specialem Dei prouidentiam, qua suam Ecclesiam regit, & protegit, & insurgentibus contra illam nouis hostibus, nouos etiam milites preparare, qui eam defendant, & ministros etiam Euangelij prouideri, quorum opera illud tandem vaticinium impleatur; *Erit vnum ouile, & vnus pastor*, Ioan. 10. Sicque experientia compertum est, insurgente enim contra Ecclesiam Ario, Deus contra illum Athanasium excitauit; contra Nestorium Cyrillum; contra Pelagium Augustinum. Et qui historiam Ordinis Praedicatorum scribunt, aduertunt eo tempore Deum sacram illam religionem per S. Dominicum instituisse, quando Albigenes, & alij haeretici Ecclesiae pacem perturbare incipiebant. Videmus autem religionem hanc eo tempore fuisse exortam, quo Lutherus bellum contra Ecclesiam excitauit, & directe, ac singulari quodam modo esse illi contrariam: Lutherus enim non solum apostata fuit, sed etiam religiosus omnes, vt apostatarent, & fideles omnes viam perfectionis, vt contemnerent, persuadere conatus est; Ignatius autem non solum ipse religiosissimus fuit, sed socios etiam ad proprium, & valde religiosum institutum sibi adiunxit, & per eos, ac successores eorum, non solum catholicam modo, sed sacras etiam religiones prouideri defendere; easque tantum in se esse propagare, & augere omnes fideles ad viam perfectionis excitando, conatus est. Lutheri lapsus inde primò incepit, quod contra Romanam Sedem immortale odium concepit; vnde & ab illius obedientia discessit, & quos potuit auerit. Ignatij vero cogitationes omnes in hoc praecipue politae fuerunt, vt se totum omneque suos Sedis Apostolicae seruitio consecraret, & nouo vinculo voti solennis obedientiae coniungeret, ac submitteret. Denique effectus ipsè comprobauit, nullos Ecclesiae ministros haecenus restitisse magis Lutheranorum, & omnium nouatorum conatibus, quam Ignatij filios, quos propterea ipsi haeretici summo odio prosequuntur. Idemque discursus potest facile ad temporis opportunitatem circa promulgationem Euangelij inter Gentiles cum proportionem accommodari. Cum ergo haec ita sint, quis dubitare audeat, ipsum Spiritum sanctum religionem hanc contra tot Ecclesiae hostes, ad tot praclaros fines, & effectus excitasse?

Secunda ratio, illaque efficacissima effectibus, & fructibus huius religionis formari potest, iuxta Christi testimonium. Ex fructibus enim cognoscitur eos. Vnde etiam D. Thom. dicto opusc. 19. contra gentes dicit, colligi posse, & debere, an conuenienter instituta, & approbata fuerit. Atque eadem ratio in ne vultus est Gregor. X. cum Concilio Lugdunensi in cap. vnicò. *Si sane de religiosis domibus in a. cum loquens de Praedicatorum, & Minorum ordinibus dixit. Quos eundem ex eius vilitate Ecclesia vniuersali prouidens, perhibet approbatos.* Quanti autem, & quales reuerfali Ecclesiae prouenerint fructus, ex huius religionis institutione, & operibus, à nobis nec narrari necesse est, cum res per se sit euidentissima; nec decens apparet, quatenus ad laudem nostram pertinere videantur, quamquam vera nostra non est, sed

sed ipse Spiritus sancti, quem volumus ex his effectibus huius operis agnoscere. Quia vero Spiritus sanctus per Christi Vicarios Ecclesiam suam docet, quid ipsi de his fructibus senserint tacere non possumus: nullo enim in hac rem testes maiori fide dignos asserere possumus. Paulus ergo III. etiam ante nam Societatem postquam de vita Ignatii, & Sociorum testimonium supra relatium dedit, subdit. Et iam quampluribus annis laudabiliter in vinea Domini se exercuerunt. Quae postquam in speciali numeravit, concludit. Et demum omnia charitatis officia, & quae ad animarum consolationem faciunt, ubique terrarum ubi peregrinati sunt, multa cum laude obsecundo. In bulla autem III. in qua varias facultates Societati iam instituta, & confirmata concedit, inquit, Attendentes igitur ad fructus vberes, quos in domo Domini hactenus produxistis, & producere non desinitis. Et in bulla 4. Licet debitum (inquit) pastoralis officij omnibus regularum vitam ducentibus, ut in suis disciplinis, & laudabilibus institutis conferuntur, & augentur, nos reddat favorabiles, & benignos, ad Societatem vero Iesu per nos institutam, & approbatam, cuius specimen veluti ager fertilis in Domino, multiplices atque vberes fructus animarum ad summi regis laudem, & fidei incrementum attulit, & affert quotidie verbo, & exemplo in populo Christiano, dirigentes praecipue velut pius pater oculos mentis nostrae, dignum confitemur, ut ipsam Societatem, cuiusque in odorem sanctitatis Altissimo deferentes personas, specialibus favoribus prosequamur. Haec ferè testimonia Pauli III. refert Iohannes III. in sua bulla confirmationis his brevitibus, sed notandis verbis. Cumque postmodum progressu temporis Spiritu sancto cooperante, ex Societate praedicta spirituale animarum fructum crescere intellexisset idem praedecessor, &c. Si enim Spiritu sancto cooperante fructus proveniunt, multo magis Societatem ipsam, tanquam proprium instrumentum suum, idem Spiritus sanctus preparavit. Quod verbis gravisimis repetit idem Pontifex in secunda bulla in qua Societati privilegia concessit. Quibus similia, & valde notanda sunt, quae habet Pius IV. in principio suae primae bullae. Esi ex debito pastoralis officij singulos religiosos, &c. paternam dilectione prosequamur, ad illos tamen, qui sicut nomen Sociorum Iesu assumpserunt, ita opere, doctrina, & exemplis Dominum nostrum Iesum Christum imitari, & eius vestigia sequuntur, maioribus favoribus, & gratiis prosequendum imitatur. Verius autem quam priores Pontifices hoc testatus est Pius V. in secunda bulla, qua confirmat quasdam Societatis constitutiones, quae sic incipit. Innumerales fructus, quos benedicente Domino, Christiano orbi Societas Iesu viros literarum, praecipue sacrorum scientia, religione, vita exemplari, morumque sanctimonia perspicuos, multorum religiosissimos praecitatores, ac verbi divini etiam apud longinquas, ac barbaras illas nationes, quae Deum penitus non noverant, optimos praedicatores, & interpretes producendo, felicissime hactenus attulit, & adhuc sollicitis studiis asserere non desistit, animo sopitus reuoluentes nostro, libenter, non solum ea quae alias in ipsius Societatis favore à Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, nobisque, & aliis emanata sunt, ut firmius subsistant, cum a nobis petuntur, verum etiam Societatem ipsam quantum à nobis ex alto conceditur, specialibus favoribus, & gratiis munimus. Simile, vel certe copiosius encomium habet idem Pontifex in altera bulla, in qua Societatem inter religiones mendicantes numerari voluit. Gregor. etiam XIII. saepe in suis bullis simile testimonium praebet, specialiter verò in priori de confirmatione instituti sic incipit. Quanto fructuosius in colenda Domini vinea se exercet veneranda Iesu Societas, dignisque aeterna mercede operariis abundare conatur, tanto propensius contendimus eam, religiosamque subinde quam instituit prolem, unde tota respublica Christiana ubique subleuetur, prosequi, & conservare. Et in altera consti-

tutione, Ascendente Domino. cum proposuisset operam, & laborem, quem in gubernanda Petri navis sustinebat, de operariis Evangelicis subiungit. Cumque tanti laboris socios, & validos remiges divina nobis providentia preparaverit, eorum opera in superandis saevientis pelagi tempestatibus, nos maxime subleuat, qui pro communi fluctuantium animarum salute, propria commoda nihil pendunt, seque ad omnia discrimina exponunt. In quo cum aliarum religionum studia, tum Societatis Iesu & V. assiduis pro Christo labor, nec non usque ad finem perseverantia, promptam se ostendit, cumque prolem catholicae religioni valde proficiam, & ad omnia pericula pro universali Ecclesia subeunda paratam procreavit, aliam, atque aliam à prima non degenerem prestans gratia Dei quotidie substat, ut nobis eorum alumnus per multiplices probationis gradus altius prouecti semper praesio sint, quos in rebus arduis suscipiendis fructuosos operarios assicamus. Ex his ergo testimoniis satis constat efficaciam rationis factae: nam adducti Pontifices non solum agnoscunt, & consentunt praedictos effectus, sed etiam illos pronuntiant esse Spiritus sancti opera, & à fortiori colligunt tale institutum ab Spiritu sancto specialiter manasse.

Concludimus
ratio ex
eiusdem
efficietibus.

Vt verò hoc evidentiùs constet, indicemus in particulari huiusmodi effectus. Primus est sanctitas, & vitae innocentia, quam Deus contulit primis huius vitae inventoribus, medio usu, & observatione ipsius instituti. Quamvis enim videri possit hoc magis ad causam, quam ad effectum huius religionis pertinere (quod non minuit rationis efficaciam; nam idcirco Deus talem sanctitatis gradum, & modum B. Ignatio contulit, quia ad tantum opus illo ut ministro uti volebat) re tamen vera inter effectus merito numeratur; nam per opera, & exercitia, quae in Societate retenta, & approbata sunt, voluit prius Deus Ignatium ac socios eius sanctificare, ac perficere, & ita usu ipso, & effectum approbavit institutum postea ab Ecclesia suscipiendum, & approbandum. Qualis autem, & quantus fuerit hic effectus, satis supra num. 2. verbis ipsorum Pontificum indicavimus, & de illa re pleni sunt libri, qui in manibus omnium versantur. Secundus effectus est haec eadem virtus, & vitae puritas, quae in successoribus eorum, mediante eodem instituto, conservatur; hoc enim sine arrogantia dicere possumus, cum non de aliqua particulari persona, sed de tota religione tractemus. Praecipue verò haec religio semper enituit, omnibusque in admiratione fuit, in vnione, & charitate fraternae; ut merito dicere possimus, satis in ea ostendi signum illud à Christo datum, Ioan. 13. In hoc cognoscet omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

Tertius effectus numerari potest firmitas, & stabilitas huius religionis, non obstantibus innumeris persecutionibus, quas & ante suam institutionem in personis Ignatii, & sociorum, & post suam institutionem, & approbationem sustinuit. Cum enim illa sit omnium minima, & novissima; & tam grande opus, ac bellum contra haereticos, & alios Christi hostes assumpserit, variis modis, ac rationibus, non ab eis solum sed etiam à Catholicis nonnullis impugnata, nullum inde detrimentum passa est, sed semper fortior, ac purior per tribulationes reddita, ut experimento omnibus est compertum. Unde merito illi accommodari potest dictum Gamalielis Actor. 5. Si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur; si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere illud. Quarto adiungi potest propagatio, & incredibilis extensio huius religionis, quae per totum orbem breui tempore facta est nam statim ferè sine mora per totam Europam dilata est; & ve

Pius

VII.
Huiusmodi
effectus in
particulari
inducuntur.

VIII.

Pius V. de illius alumnis dixit. Non contenti terrarum finibus, usque ad Orientales, & Occidentales Indias penetrarunt. De quare in vita B. P. N. Ignatii, & in epistolis Indicis, & in vita S. P. Francisci Xavier multahabentur. Specialiter autem animaduerti potest ex 4. lib. vitæ B. Ignatii. cap. 16. apud Ribadeni tempore mortis suæ reliquisse fundata centum Societatis domicilia, per duodecim provincias distributa, ut in hoc etiam videatur in ipso impleta illa promissio. Qui reliquerit domum aut fratres, &c. centuplum accipiet. Quinto addere possumus, religionem hanc non solum successione, & approbatione temporum, sed etiam sanguine multorum martyrum fuisse stabilitam, & firmatam. Nam hoc etiam Pius V. loco proximè citato in approbatione huius religionis numerandum putauit, dicens, Ac eorum aliquos ita Domini amor perstrinxerit, ut etiam proprii sanguinis prodigi, ut verbum Dei inibi efficacius plantarent, martyrio voluntario sese supponerint. Et tamen, post tantum Pontificis testimonium, illustres alij in Anglia in medio ipso Oceano, aliisque pro Romana, id est, catholica Ecclesia expeditionibus martyres occubuerunt. Sexto, hinc sequenti sunt exteriores fructus circa proximam, & vniuersam Ecclesiam, de quibus Pontifices supra citati potissimum loquuti sunt, maximè verò Pius V. dum in hoc postremo loco adiungit. Per quæ eorum spiritualia exercitia, etiam regna ipsa fidem Christi agnouerunt, ac tam inibi, quam ubique terrarum charitatis, & misericordie opera exercere studeant. Vide de hoc plura in Payua de origine Societatis.

IX.
Quam efficaciam habet ratio ab his effectibus desumpta.

Tandem ad huius discursus confirmationem addere possumus, his ferè motiuis, & rationibus solere Patres, & Theologos vti ad persuadendum, esse euidenter credibile, ut aiunt, autorem fidei, & religionis Christianæ esse ipsum Deum, quem admodum nos etiam prosequuti sumus disput. 4. de fide sect. 3. Nam argumento sumpto ab insigni sanctitate eorum, qui hanc fidem profitentur, utitur Euseb. lib. 2. de præparatione Euangelica cap. 5. & August. lib. 2. contra Iulian. Argumento verò sumpto ex sanguine martyrum utitur Iustinus in Apologia pro Christianis. Ratione autem sumpta ex constantia, & incremento in persecutionibus, utitur Leo Papa in ferm. 1. de Sanctis Petro, & Paulo his verbis. Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager segete diuore vestitur, dum grana quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. Et idem lumi potest ex eodem Augustino in id Psalmi 57. Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens. Denique illud argumentum visum est efficacissimum omnibus Patribus præsertim Augustino, quod ex amplitudine Ecclesiæ sumitur, & quod duodecim homines potuerunt vniuersum mundum subiugare, non vi armorum, sed vitæ, & doctrinæ: ergo proportionem seruata, eadem signa manifestè ostendunt religionem hanc peculiari providentia à Deo ipso fuisse institutam: quibus addere possumus, vnam ex præcipuis notis ad cognoscendam veram Ecclesiam, quam Patres tradunt, esse vniōem membrorum inter se, & cum capite, Romano scilicet Pontifice, ut ex Leone Papa, Irenæo, Cypriano, & aliis latè tradit Bellarm. lib. 1. de Eccles. cap. 10. Sic ergo ex perfecta vniōe charitatis membrorum huius religionis inter se, & vniōis perfectæ, & singularis obedientiæ totius religionis ad Summum Pontificem, euident coniectura fit, eundem spiritum fuisse huius religionis principalem autorem, qui fuit ipsius Ecclesiæ.

X.

Sed quæret aliquis, quomodo intelligendum sit hanc institutionem esse specialiter Spiritui sancto tribuendam. Aut enim est sensus, nō potuisse Ignatium, & socios sine speciali Spiritus sancti gratia, & inspiratione, tantum opus inchoare, & perficere;

aut sensus est ex singulari aliqua reuelatione, aut extraordinaria motione, aut directione infallibilis, qualis dari solet Prophetis, aut sacris Scripturis, hanc institutionem originem duxisse. Si prior tantum sensus intentus est, res est certissima, & ferè euident ex principiis fidei, quibus docemur, multum pietatis opus inchoari, aut fieri posse à nobis, sine Spiritus sancti præcisâ inspiratione, & sublequente adiutorio. Quis autem dubitare audeat conatus Ignatii, & sociorum in hac religione fundanda fuisse pietate plenos, cum sine magna fide, ac religione, & feruenti charitate, ac obedientia tantum opus aggredi non potuerint. Itaque in hoc sensu dubitari non potest, quin ab Spiritu sancto fuerint moti, & adiuti. Hæc autem parua, & communis valde laus est, cum ille modus originis ab Spiritu sancto omnibus pietatis operibus communis sit. Ex quo solum concluditur, bonum, & meritum fuisse huic operi incumbere: inde tamen inferri non potest, aut opus ipsum habere aliquam singularem excellentiam, aut fuisse vtiliter, aut conuenienter inuentum: potuit enim esse ex zelo, & non secundum scientiam, potuit etiam voluntas eius esse ab Spiritu sancto: in ipsa verò fabrica: vel institutione nihil esse nili merè humanum, atque adeo expositum mille erroribus, ac defectibus. Si verò alter sensus est intentus, ille quidem magnam laudem continet, verendum tamen ne sit nimia, & non sufficienter probata: nam inde sequeretur omnia quæ in hoc instituto continentur omnino esse certa & infallibilia, quod dicendum non est.

Religionem hanc conuenientissime ab Apostolica Sede approbatam, & confirmatam,

Antequam ad hanc interrogationem respondeam de tertia causa huius instituti proposita in numer. 1. dicendum breuiter est, quamquam in hætenus dictis iam ferè contineatur. Dico ergo Religionem Societatis conuenientissimè fuisse ab Apostolica Sede approbatam, & confirmatam. De approbatione ex Apostolicis bullis sæpe citatis constat. Nam Paul. III. in prima bulla sic inquit. Premissa omnia, & singula, tanquam ad spiritualium profectum doctorum sociorum, & reliqui Christiani generis opportuna, Apostolica auctoritate tenore præsentium, ex certa scientia probamus, confirmamus, & benedicimus, ac perpetuæ firmitatis munimine roboramus, ipsosque socios nostræ, huiusque sanctæ Sedis Apostolicæ protectione subigimus. Et deinde facultatem concedit concedendi constitutiones, quæ ad finem Societatis, Christi gloriam, & proximi vtilitatem conformes sint, quas eo ipso, quod legitime sint conditæ, eadem Apostolica auctoritate vult esse confirmatas, ut latius in bulla secunda declarat. In bulla autem 5. Societatem commemorans idem Pontifex. Per nos (ait) institutam, & approbatam. Non enim confirmatorius tantum, sed etiam instituentis nomen usurpare voluit Pontifex, vel, ut maiorem beneuolentiam in Societatem ostenderet, eamque maiori honore afficeret, vel, ut indicaret se fuisse primum Societatis confirmatorem, vel denique, quia propter specialem subordinationem, quam hæc religio habet ad Apostolicam Sedem, & quia eius institutum in hoc peculiariter consistit, quod tota Societas proximè sit dicata seruitio Summi Pontificis, & ab eius nutu, & seruitio pendeat, ideo eius institutio non solum pendeat à Pontifice, quoad generale approbationem religionis, sed etiam quoad acceptationem talis vocis, ac traditionis. Hinc fortasse ortu habuit quod de Societate dicitur Kemnitius hæreticus, ut refert Payua lib. de origine Societatis, à Romano, scilicet, Pontifice fuisse excogitatum, ut labentem Ecclesiam fulcire aliquo modo

modo posset, quod ab hæretico in opprobrium Societatis dictum est; ignorans autem quid diceret summam de illa laudem protulit. Deinde Iulius III. in bulla confirmationis, eandem approbationem confirmat illis verbis. *Auctoritate Apostolica senore prefatum erectionem, & institutionem Societatis, &c. perpetuo approbamus, & confirmamus.* Pius autem IV. in prima sua bulla, eandem confirmationem commemorat, & multis verbis, ac benevolentia signis confirmat. Idem Pius V. in omnibus ferè bullis, & præsertim in vltima, in qua non solum Societatem confirmat, sed etiam in mendicantium numerum illa recipit. Idem latissimè Gregor. XIII. præsertim in illis duabus constitutionibus. *Quanto fructuosius, & Ascendente Domino.* Ac tandem Concil. Trident. sess. 25. cap. 16. de regularibus, eandem approbationem ita commemorat, vt ipsum denuo institutum laudet, ac approbet, & in omnibus minimè mutatum velit, dicens. *Per hac tamen Sancta Synodus non intendit aliquid innouare, aut probare quin religio clericorum Societatis Iesu iuxta scriptum eorum institutum à Sancta Sede Apostolica approbatum, Domino, & eius Ecclesie inferuire possit.*

XII. In hac autem approbatione nonnulla consideranda sunt. Primum est in eiusmodi instituto prius approbati pietatem, & sanctitatem, vel (vt clarius Iulius III. dixit) nihil, quod pium, sanctumque non sit, in dicta Societate eiusque laudabilibus institutis reperiri. Et quoad hoc approbatio habet vim cuiusdam authenticæ definitionis, vel declarationis, cui falsum subesse non potest, vt supra tractando de religione in genere ostensum est, & ideo non est necesse, vt denuo probemus approbationem quoad hanc partem fuisse conuenientem: nam eo ipso quod facta est, certissimum est conuenientem esse, & veritati approbanti conformem. Deinde considerandum est, approbationem, quoad hanc rationem, cecidisse propriè in ea, quæ distinctè fuere Pontifici proposita, quia non poterat prudenti modo aliter fieri approbatio, quæ dictam infallibilitatem contineret, & ideo non sine causa specialiter dictum est à Paulo III. *præmissa omnia, & singula approbata fuerunt.* Reliqua verò, quæ virtute ibi continentur, vel per generalia verba proponuntur, solum intelliguntur approbata, vel si omnino necessaria fuerint ad veritatem eorum, quæ distinctè approbantur, vel solum secundum quandam moralem fidem, ac credulitatem, si solum morali etiam probabilitate cum eis fuerint coniuncta. Hinc tertio expendo, cum Paulus III. in bulla secunda explicat, se ita concedere Societati facultatem condendi constitutiones, vt eo ipso quod fiant, velint esse sua autoritate munitas, non vt verbo approbandi, sed tantum confirmandi; inter quæ duo verba hanc differentiam confidero, quod approbare refertur magis ad intellectum, pertinetque ad clauem scientiæ: confirmare autem magis spectat ad clauem iurisdictionis, referturque ad vim obligandi. Voluit ergo Pontifex dare robur & valorem constitutionibus, eo ipso quod fiant, non tamen propterea eas ita approbet, vt declaret esse conuenientes, aut opportunas, supponit autem eas esse debere honestas, & viles ad Societatis finem, Christi gloriam, & proximorum vtilitatem, vt ibidem præmittit. Quarto aduerto, Pontifices non fuisse contentos, approbando hoc institutum, vt sanctum, & pium, sed etiam vt Ecclesie valde opportunum, & moraliter necessarium ad finem intentum, quod non sine prouidentia diuina factum est, propter eos, qui calumniari possent hoc institutum licet bonum sit; non tamen fuisse Ecclesie necessarium, vel eo tempore conueniens. Neque enim defuerunt, qui cum in aliis censerent, quoad hoc Pontificem posse errare, senserint etiam in hoc facto errasse, quod professum impudenter Franc. Suar. de statu relig. Tom. I. V.

tissimum est, maximè cum expresse tot Pontifices etiam quoad hanc circumstantiam distinctè institutum probauerint. Quod patet expresse ex illis verbis Pauli III. *Præmissa omnia, & singula, tanquam ad spirituales profectum, eorundem sociorum, & reliqui Christiani gregis opportuna, Apostolica auctoritate, &c. Et in altera bulla inquit, Ipsorum, & eorum Christi fidelium animarum salutem zelantes, &c. Et Iulius III. Considerantes, &c. Eaque omnia, ad suorum, & omnium Christi fidelium, & fidei exaltationem tendere. Et clarius Gregor. XIII. in constitutione. Quanto fructuosius. Ad quem finem (inquit) Spiritus sanctus, qui bona memoria Ignatium Loyolam ipsius Societatis institutorem, eiusque socios excitauit, media etiam præclara, maximeque opportuna huius sedis ministerio ei tribuit, atque confirmauit. Et in altera bulla, Ascendente Domino. Ipsius (inquit) instituta, tanquam fundamenta eius præsidij, quod catholica religioni impendunt, immota, atque inconcussa aliorum etiam Romanorum Pontificum exemplo debemus Apostolica auctoritate tueri. Et infra. Cum diuina prouidentia pro temporum necessitate varia, & salutaria ordinum instituta in Ecclesia sua produxerit, nouisque subinde in eadem nascens morbus, noua remedia, nonisque emergentibus hostium impugnationibus, noua regularium ordinum auxilia excitauit, iuxta cuiuslibet peculiari gratia vocationem, peculiare quasdam notas, propria insignia, ac opportuna ad finem, quem intendunt, media suggererit, & nunc maxime, &c. Et infra. Nos vniuersali Ecclesie vtilitati, quanti ex inuoluto, & inconcussa Societatis instituto, & religioso sobolis educatione sentimus, & maiorem in dies speramus, propicientes de Apostolica potestate plenitudine, &c. Duplitter ergo quoad hanc partem approbatur Societatis institutum: Primo, vt vtile, ac necessarium (ad melius esse loquimur) ad finem quem intendit. Secundo, quia religio intendens talem finem, per talia media, valde opportuna fuit Ecclesie, & in eodem sensu necessaria. Quomodo idem Gregor. XIII. in bulla concessa anno 1576. quæ incipit, *Saluatoris. Propter ipsius Societatis (inquit) tam viles, tamque necessarias functiones.* Et infra. *Tam salubribus dictæ Societatis ministeriis, quæ pro eorum dignitate, & maiori fidelium fructu in locis apertis, ubi maior seges, & frequentior populi consuetudo viget, exerceri, & ministrari debent.* Quam verò tota hæc approbatio veritati ipsius rei conformis sit, satis ex dictis de fine, & mediis Societatis, & de affectibus, ac fructibus eius constare existimo.*

XIII.

Ex his ergo ad interrogationem num. 10. factam respondeo, institutum hoc specialiter tribui Spiritui sancto, non solum eo modo quo vniuersa pietatis opera ab ipso manant, sed etiam, quia ab illa speciali prouidentia, qua Spiritus sanctus vniuersalem Ecclesiam regit, & protegit, duxit originem. Vnde fit, vt quantum attinet ad substantiam instituti, quæ consistit in intentione talis finis per talia media primaria, ac principalia, non solum credendum sit habuisse B. Ignatium quomodocunque Spiritus sancti excitationem, & inspirationem, sed etiam specialissimam directionem, vt ab eo quod Ecclesie opportunum erat non aberraret, imo etiam, vt tam prudens, & immensum opus posset concipere, & architectare. Quod si quis pie credat directionem hanc per expressam reuelationem sæpe factam esse, nihil fortasse à veritate deuiaret, vt ex historia vitæ eius intelligi potest. Quidquid verò sit de expressa reuelatione, saltem specialis instinctus Spiritus sancti per specialia dona superiora ordinariis virtutibus, & auxiliis earum negari non potest. Atque hoc modo verum censeo, in his quæ pertinent ad substantiam instituti (sub quibus ea omnia comprehendo, quæ à Sede Apostolica expresse in specie recognita, & approbata sunt) ita fuisse Ignatium motum, & directum ab Spiritu sancto, vt neque erraret, neque ab eo quod Ecclesie vtile, & op-

